



XX

5

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA  
DE  
**CREBRIORE**  
**SANGVINIS MISSIONE**  
**FOECVNDA PLETHORAE GENITRICE**

QVAM  
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS  
ET  
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
P R A E S I D E  
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**  
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDE  
ET COMITE PALATINO CAESAREO,  
**PRO GRADV DOCTORIS**  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS  
AD D. VI. MAII, A. S. R. C<sup>15</sup>CCLVIII.  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA  
PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR  
**IOANNES SAMVEL CARL**  
SCHOENBERGA - PALATINVS.  
HALAE MAGDEBVRG. LITTERIS HENDELIANIS.

DISSERTATIO IN AGRICULTURIS MEDICIS  
DE  
CEREBRIORE  
SANGUINIS MISSione  
LOECAANDA PLETHORE CUNNITRIC  
CONTRARIA CEREBRORUM THERAPUTICAS MEDICAS  
PRAESES  
D. ANDREI HILVI BACHERO  
ACADEMICO DOCTORIS  
ALIAS IN INDIIS INDIVIDUALIS ET COLLECTIVIS  
DOCTORATIS ET MAGISTERIALIS  
IN AFRICA ET ALIA TRINITATIS VINA  
TUTOR  
VINCENZIUS SAMUEL CARL  
SCHONBERGER - LUDWIG  
HANAE MAGDEBVRGENSIS IN HENDTLIANE

VIRO  
SVMME VENERABILI, DOCTISSIMO,  
CELEBERRIMOQVE,  
**ADAMO STRVENSEE,**  
SACROSANCTAE THEOLOGIAE DOCTORI,  
VERBI DIVINI APVD ALTONAVIENSES PRAECONI PRIMARIO,  
RERVMQVE SACRARVM IN DIOECESI PINNEBERGENSI  
ANTISTITI, CETERA,  
ADFINI SVO OPTIME DE SE MERITO  
MAXIMAQUE REVERENTIA COLENDO,  
NEC NON  
VIRO  
EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO,  
DOCTISSIMOQVE,  
**IO. FRIDERICO MÜLLERO,**  
MEDICINAE DOCTORI,  
CELSISSIMAEQVE ET ILLVSTRISSIMAE DOMVS YSENBUR-  
GICAE CONSILIARIO AVLICO,  
PATRONO SVO SVMME AESTVMATISSIMO,  
TANDEMQUE  
VIRO  
PRAENOBILISSIMO, EXPERIENTISSIMO,  
ERVDITISSIMOQVE,  
**AVGVSTO ERNEST. CARL,**  
CELSISSIMI PRINCIPIS STOLBERGICI ARCHIATRO,  
PARENTI SVO OPTIMO INDVLGENTISSIMOQVE,

IN SAMME AENERI DOCITISSIMO

PUBLICVM PERPETVVMQVE

ANIMI GRATISSIMI,

ET

IMMORTALIVM BENEFICIORVM

IN SE COLLATORVM

AETERNAM SERVANTIS MEMORIAM,

HOC QVALECVNQVE TESTIMONIVM,

PRIMITIAS HAS ACADEMICAS,

TANQVAM VOTIVAM TABVLAM,

D. D. D.

IOANNES SAMVEL CARL.



DISSERTATIO INAVGURALIS MEDICA  
DE  
CREBRIORE  
SANGVINIS MISSIONE,  
FOECVNDA PLETHORAE GENITRICE.

PROOEMIVM.



Quae & quanta humano corpori accidunt mala, si vitalis ille humor, quem vocamus sanguinem, a decente tantum recedit quantitate, ut mole sua ipsas partium solidarum vires atque capacitatem longe exsuperet, neminem profecto fugere potest, qui vel a lamine solum medicam salutavit artem. Sic ut enim omnes corporis nostri actiones

A 3

libe-

libere succedunt, singulaeque se- & excretiones rite perficiuntur, quando solidorum in fluida, ac fluidorum in solida proportionata & aequalis est actio: ita e contrario tota motuum vitalium oeconomia turbatur atque peruertitur, si in iisdem aequilibrium aufertur; nam mira in his animaduertitur consensio & conspiratio. Atqui hinc intelligitur, vnde tot tamque diuersi & saepenumero periculosissimi, tam acuti, quam chronici, generentur morbi, quibus simplex *plethora* causam praebet περιγραμένη. Quando nimirum, sub nimia humorum abundantia, vasa vltra modum expanduntur, tunc simul pro diuersis huius expansionis gradibus solidorum imminuitur tonus atque resistentia, quo minus in fluida porportionatam exferere possint actionem. Inde fit, vt non solum ipse progressius humorum motus retardetur, sed ad haec etiam prima digestio, sanguificatio, omnesque caeterae actiones, partim secretionum, partim excretionum negotio inseruientes, insigniter laedantur. Quas varii generis laesiones presso pede humorum sequitur dyscrasia, foecunda plerumque multorum mor-

morborum chronicorum mater, in primis autem eorum, quos Medici barbaris op- pletiorum, stagnatoriorum, inflammatoriorum, distenoriorum, spaisticorumque adfectuum nominibus designant. Quum igitur plethorae tanta in generandis morbis insit efficacitas, a prisco aevo Medici in eo iam fuerunt occupati, ut hocce malum, corpori nostro infensissimum, sollicite praecauerent atque eradicarent. Quo consilio, tam praeseruandi, quam curandi scopo, artificiales excogitarunt euacuationes, verbi causa, scarificationem, venaesectionem, &c. Tametsi autem sanguis, copia peccans, per haec adminicula, in primis per venaesectionem, ita subito efficaciterque tolli potest, ut uno fere momento corpus, superfluis succis scatens, depleteatur: experientia tamen duce obseruamus, venaesectione, frequenter administrata, ipsam augeri plethoram. Παράδοξον hoc phaenomenon, quatenus nimis venaelectione ad nouam humorum accumulationem plurimum conferre possit, praesenti inaugurali Dissertatione pertractare, mecum constitui. Quae itaque instituti huius mei intererunt, tam ex experientia,

quam

quam ex ratione depromta, in *duo* conser-  
vam *capita*: alterum, quod generalem ple-  
thorae complectatur considerationem: al-  
terum vero, quod oriundae huius pletho-  
rae caussas quasdam ex ipsa frequentiori  
eruat venaefectione. Cui labori ut grati-  
am suam atque vires mihi diuinum largia-  
tur Numen, demissis precibus rogo effla-  
gitoque.

CAPVT PRIMVM  
DE  
PLETHORA IN GENERE.

§. I.



**A**ntequam vero ipsam huius argu-  
menti disquisitionem pertracta-  
tionemque adgrediamur, primo  
omnium opera erit pretium, de  
verbis, quibus usuri sumus, di-  
stinctas & completas exhibere  
notiones. Quo itaque nomine  
*plethoram* Medici comprehendere soleant, satis su-  
perque indicat simplex vocis huius significatus.  
Πληθώρα enim a πλήθω, *plenum esse*, descendit, &  
dum ad corpus referuntur humanum, *maiorem* de-  
signat humorum quantitatem, quam pro capacitate  
vasorum adesse debet. Fuerunt quidem Medicorum

rum nonnulli, & ex his praesertim famigeratissimus prioris seculi Medicus, HELMONTIUS, eiusque asseclae, qui eiusmodi humorum abundantiam in corpore nostro prorsus negandam esse existimarent; istum naturae thesaurum, quo saluo robustum esset animal, & cui vitae nostrae sedes a natura, omnium rerum parente, esset destinata, minime in quantitate peccare & oriundis morbis pabulum suppeditare posse rati. Verum enim vero hanc sententiam nostris temporibus maxima ex parte explosam videmus a), quandoquidem quotidianis Medici edocentur obseruationibus, a sanguine, variis artibus modisque emisso, sicubi forte a naturali, quae ipsis cum vasculis intercedit, proportione deflexerit, & abundantia peccarit copia, plurimos eosque saepe grauissimos tolli morbos. Quoniam, exempli causa, excitare liceat acutas, in primis incendiis partium internarum stipatas, adficationes: in quibus tempestiu a venaefactio haud raro praesentissimam fert opem; neutiquam eamdem latura, nisi iusto maior humorum abundantia oriundorum istorum malorum fuisse causa. Atqui eadem sua iam aetate GALENS, ut erat vir acutissimi

B

simi

a) Tametsi enim nuper admodum celeberrimus Carol. Frid. KALTSCHMIED singulare Dissertatione, de Plethora in sensu medico semper spuria, Jenae MDCCLVII. habita, contrarie isti sententiae adsentire videretur: tamen plethoram non omnino negat, sed eam tantum, quae e simplici & pura, neendum cacoeciam contracto, sanguine copioso consistere existimatur. Qua in re & nos ipsimet parum dissidentius.

simi iudicij, recte intellexisse videtur: alias enim  
parcior fuisset euacuationum sanguinearum, ad de-  
bellandos morbos instituendarum, laudator, neque  
**THESSALI** secessoribus, plethoram negantibus,  
strenue, immo acerbe, se opposuisset b). Quibus  
passim locis idem manifestissimis exemplis ratioci-  
niisque luculentissimis demonstrauit, plethoram e  
causarum communium, ynde morbi oriuntur, nu-  
mero nequaquam esse reiiciendam.

## §. II.

Plethorae autem nomine significamus *maiores*  
*fluidorum copiam, quam quae ad exercendas singu-  
las humani corporis functiones vasculis naturaliter  
contineri debet.* Hac ergo plethorae notione quam-  
libet copiosiorem sanguinis ceterorumque humo-  
rum quantitatem, siue isti boni laudabilesque suc-  
ci, siue mali vitiosique fuerint, complectimur: mi-  
nime moti viri ceteroquin summi, *Hermann BOER-  
HAAVII*, auctoritate, plethorae nomen soli nimiae  
boni sanguinis copiae deberi existimantis c). Ple-  
thorae enim causas intuentibus nobis videtur, fieri  
omnino non posse, vt sub eiusmodi accumulatione  
humores blandam decentemque conseruent mixtio-  
nem, bonitatisque & eucraseos nomen mereri per-  
gant: vt potius veri longe sit similius, quoniam ma-  
ior

b) Adeo enim acerbe, hanc ob rem, in **THESSALI** ad seelas in-  
uehitur **GALENVS** in *Libro contra ea, quae in Hippocratis  
Aphorismos dicta sunt*, Cap. VI. vt etiam ipsos Thessalios  
a sellis dicere haud vereatur.

c) Conferantur Eiusd. *Institution. medicar.* §. 717. & *Apho-  
rism. de cognosc. & curand. morb.* §. 106. seq.

ior ingestorum, parciorque egestorum, copia plethoram, vti suo demonstrabitur loco, producit, sanguinem, in plethorae vitium ruentem, plurimas diuersasque subire mutationes.

§. III.

Sed tangenda est antea, quam institutum persequimur nostrum, vetustissima plethorae diuisio: qua alia *ad vasa*, alia *ad vires* esse non incongrue putatur. Tametsi enim hanc plethorae distinctionem *Theodorus CRAANEN d)*, *Paulus AMMANNVS e)*, *Ioann. Iacob. WALDSCHMIDIVS f)*, aliique e Cartesianis praeципue nonnulli, inter imaginaria Medicorum commenta referre non sunt veriti: singulariae tamen horum virorum rationes, quibus hoc, quidquid est, asserti stabilire sunt conati, tanti non sunt, vt longa demonstratione, ipsas conuulsura, sit opus; quandoquidem recentiorum Pathologorum plerique modo expositam plethorae distinctionem, non sine grauibus locupletibusque argumentis, probant adfirmantque.

§. IV.

Scilicet ea, quae *ad vasa* esse dicitur, plethora (§. III.) in tanta humorum consistit abundantia, vt vasa exinde ultra modum repleta atque distenta euadant, totamque simul corporis molem paullo tumidam reddant. Quod iis praesertim accidere solet hominibus, qui corpus fibrosum & vasa nacti sunt

B 2

amplio-

- d) In *Tra&statu de Homine*, Cap. XLII.  
e) In *Paracenesi ad Auditores*, Cap. IX.  
f) In *Institutionibus medicin. rational.* Libr. II. Cap. II. §. I.

ampliora. Contra ea vero, si tanta non adest humorum copia, ut vasa in conspectum veniant, nihilo minus tamen plus sanguinis, ad solidarum partium capacitatem relati, corpori inest, quam per vires eiusdem vitales moueri potest, hunc statum Medici *plethora* *ad vires* appellant.

## §. V.

Quae vtraque plerorae species (§. III. IV.) licet vulgo uno eodemque nomine atque genere comprehendatur: inter se tamen, vtrum ex modo disputatis adparet (§. IV.), maxime discrepat. Harum enim primae, quae ad vasa est, soli semper, stricto absoluтоque sensu, plenitudinis sive plerorae nomen debetur: siquidem altera tantum relativa, ut vulgo loquuntur, hoc est, cum solidarum partium viribus atque capacitatem collata, plerorae mutuantur nomen. Ergo de priori sola in praesenti commentabimur disputatione.

## §. VI.

Sed expositis nunc iis, quae ad plerorae nomen notionemque attinebant, consideranda porro sunt *caufae*, quae humorum in corpore nostro accumulationem producunt, genuinam nempe plerorae matrem. Omnes autem has singulasque merito dispesci oportet in *externas*, hoc est, eas, quarum ratio in corpore non latet, & *internas*, quae ex ipsa naturali corporis constitutione atque dispositione deduci demonstrarique debent. Vtrumque ergo hoc caufarum genus nunc porro breuissime pertractabimus.

## §. VII.

## §. VII.

Si de corporis humani fluidis partibus Physiologos audias disputantes, expositae doceberis, his humoribus adeo singularem esse mixtionem, ut per continuam solidarum partium, quibus interfluunt, actionem perpetuumque attritum sensim subtilissimae fluidissimaeque particulae a reliquis grauioribus liberentur & eiificantur; donec vniuersa humorum massa, licet ceteroqui blandissimae sit naturae, sensim in meram excrementitiam euaserit materiem. Atqui hinc evenit, ut ad sanitatis nostrae conseruationem perpetua atque quotidiana succorum bonorum, nostrae naturae conuenientium, reparatio atque restitutio summe sit necessaria; quandoquidem exinde vnicے solumque iusta humorum proportio perfectumque partium solidarum fluidarumque aequilibrium conseruatur. Fac itaque, notissimam illam Medicorum legem, qua ingesta egestis semper aequalia & proportionata esse iubentur, quounque haedi migrarique modo; ita in primis, ut plus ingerratur alimentorum, quam per excretiones desperditum est: & tunc presso pede vitiata humorum in quantitate proportio in sequetur. Largius ergo diaetae genus, laetum atque opiparum, breui temporis spatio humorum inferet accumulationem; idque eo facilius citiusque, si alimenta blanda eu-peptaeque sunt naturae, plurimumque materiae chylosae, in succos nostri corporis transiturae, continent; cuiusmodi, verbi causa, sunt carnium iusculla, iuniorum animalium tenerae carnes, lacticinia, & id genus alia. Variis enim experimentis obseruatiō-

B 3

nibus-

nibusque compertum est, e modo commemorati generis blandis mollibusque cibis non solum magnam gelatinas nutritiae copiam emitti, sed etiam circulatorium sanguinis motum non nihil imminui atque tardiorum moderatioremque redi. Atqui vero per hunc ipsum motum fluidae corporis nostri particulae magna ex parte consumi, & per emunctarios canales reiici debent; vt protinus exposite demonstrabimus (§. VIII.): ergo hinc patet, ab eiusmodi, quam tetigimus, diaeta dupli modo plethoram facile inducetum iri.

### §. VIII.

Alteram plethorae caussam, quae cum priori (§. VII.) plerumque coniuncta esse solet, constitui-  
mus vitae genus sedentarium, otiosum, atque des-  
diosum. Quod qua ratione fiat, facili intelligi pot-  
est negotio, si modo, physiologica repetentes, con-  
sideremus, in venosis canalibus, quippe omni fere  
motu destitutis, admodum tarde progredi, & pa-  
ne solo muscularum, aliarumque partium adiacen-  
tium, motu propelli humores. Fac ergo, in quie-  
te otioque esse musculos, & cessabit profecto bene-  
ficium muscularis motus, liquoresque venosi, qui  
vascula muscularis intertexta transeunt, minori vi at-  
que celeritate ad cordis ventriculos propellantur.  
Hinc autem porro sequitur, vt sub tardiori minus-  
que viuido sanguinis ad cor refluxu itidem retardat-  
ior languidiorque eiusdem in arterias propulsio  
fiat. Proinde etiam omnes hoc a motu dependen-  
tes actiones retardari, solidarumque partium in flu-  
idas actionem ita maxime imminui oportet, vt hu-  
mores

mores haud satis sufficienterque resolui, dissipari, consumique possint. Particulis ergo excrementitiis hoc modo in corpore retentis, humores augementantur accumulenturque, necesse est. Quia de re inter bruta equi luculentissimum nobis exhibent exemplum, qui, si in stabulis bene pasti quiescunt, breui temporis spatio pingues fiunt; si vero per aliquot dies valido exercentur cursu, cito omne, quod contraxerant, denuo amittunt incrementum.

## §. IX.

Praeter haec vero quantum quoque, ad plethoram inducendam, sanguinis tam naturales, quam artificiales, consuetae valeant missiones, quotidiana docemur experientia. Eos enim homines, qui singulis annis, circa solstitia & aequinoctia, morborum praecauidendorum gratia, quater, quinquies, immo pluries venam sibi secari curant largamque sanguinis copiam emittunt, eo citius postea sanguine iterum videoas turgentibus. Sexus sequior, singulis recurrentibus mensibus, per menstruam naturae purgationem, large efficaciterque abundant sanguine liberatus, breui post eadem laborat plenitudine, nouam exposcente reiectionem. Denique, quod praecipuo collocamus loco exemplum, passim obseruatum est a Medicis, viros, frequentiori venaectioni adiuetos, per aliquod autem temporis spatium hanc consuetudinem supergressos, iisdem, ac foeminae ex retentis mensibus male affectae, obnoxios fieri malis, roburque ipsorum virile sensim infringi, & in foemineam demum degenerare partium solidam.

solidarum laxitatem. Huiusmodi autem corporis humani constitutionem insigniter ad plethoram valere inducendam , paulo ante dedimus demonstratum (§. VIII.).

## §. X.

His autem singulis caussis , inconuenientem sanguinis abundantiam efficientibus, annumerari quoque meretur iusto maior vis atque robur viscerum κυλοποιῶν , & cordis atque arteriarum , simulque e contraria parte laxior venarum ceterorumque vasorum compages. Constat enim inter omnes , qui primis tantum labris medica attigerunt, ingesta in visceribus, eorundem coctioni destinatis, diuersimode praeparari, elaborari, & tandem in corde & arteriis per validam actionem & conquaſtationem nostris humoribus, vt vulgo dicitur, assimilari. Insuper quoque in medicis ſcholis res est omnium notissima, venas ex ipſa ſua natura arteriis esse multo laxiores , facile distendent cedere liquido, & exinde cuius fere ſuperfluo recipiendo maxime esse idoneas. Quod ſi igitur ingesta a viscerum κυλοποιῶν & αἷματοιῶν viribus debite adhuc ſuperantur, adeoque in chylum, ſanguinemque conuertuntur; venarum vero laxitas ſimil adest maior: neceſſario ſequitur, vt, concurrentibus iisdem cauſis, quae ſupra (§. VII. VIII.) commemoratae ſunt, in corpore noſtro colligantur atque accumulentur humores.

## §. XI.

Quaecunque autem haec tenus de cauſis, plethoram generantibus, in medium protulimus, ea certe

certe in maiori adhuc gradu erunt expectanda, si homines animi simul sunt sedati, tranquilli, & omnibus affectibus atque cupiditatibus immunes, largiorique indulgent somno. Tametsi enim animi tranquillitas tuendae sanitati quam maxime conduit, nostrumque corpus a pluribus defendit ac praeseruat morbis; quapropter etiam tam curatorie, quam praeseruatorie, eandem sollicite Medici commendant; nihilo tamen minus haud aliter, ac nimia lucubrations atque curae, breui temporis spatio corpus attenuant, consumuntque humores, econtraria parte nimia ab affectibus immunitas, curarumque omnium vacuitas, diuersis supra modis (§. X.), celeriter homines in ineuitabilem humorum conuicti plenitudinem. Atqui haec intuens perspicacissimus GALENVS h), dum de nimia & molesta corporis obesitate feliciter curanda differit, inter alia remedia inprimis quoque recensuit animae curas. Probe enim intelligebat, singulos animi affectus plurimis modis nostros immutare posse humores. Cum nimia animi tranquillitate conuenit quoque somnus largus, ceteroquin in corporibus debilitatis eneruatisque optimum remedium roborans & viribus amissis resiciendis aptissimum: cui vero, si ipsi vltra modum, vt sit, indulgetur, plane contrarius succedit effectus. Dum enim homines eiusmodi somniculosi quasi in proprio vaporum de ipsorum corpore exhalantium, balneo iacent, fieri non potest, quin solidae fibrae emollientur & re-

C laxen-

b) In Methodo medendi, Libr. XIV. Cap. XV.

laxentur. Quum vero fibrarum laxitas progressivum sanguinis motum, & eiusdem in primis e venis redditum maxime retardat (§. VIII. X.), atque haec ipsa retardatio plurimum ad plethoram confert: naturali inde conficitur consecutione, ut multus & protractus somnus merito quoque inter caussas plethorae genitrices sit numerandus.

## §. XII.

Explicatis haec tenus plethorae caussis, de quibus multa adhuc, si institutum permitteret nostrum, dicenda superessent, breuiter nunc quoque indagandi sunt *effectus*, sive *mutationes*, quas praecipue ordinarieque in corpore nostro producere solet plethora. Verum enim vero omnes has a simplici saltem humorum rarefactione commode deduci posse iudicamus. Quamdiu enim sanguinis copia in vasis adhuc, quasi in quiete constituta, continetur, tamdiu etiam sine insigni functionum laetione consistere potest sanitas; quoniam, experientia anatomica teste, in naturali quoque statu semper sanguis in canalibus venosis magis, quam in arteriosis, retardatur atque continetur. Si vero a quacunque caussa rarescit sanguis, presso tunc pede sequuntur variae functionum laesiones. Vnde adparet, quam iustissime Medici plethoram discernant in *quietam* & *commotam*. Illa enim in corpore esse potest humano, sine vilo, saltem conspicuo, sanitatis detimento. Quum vero eas mutationes, quae mortalibus ineuitabili fato accidentunt, plethora ferre nequit, sed a leuissima quavis caussa facilime se

se commoueri patitur, morbos & molesta euadit, adeoque morborum numerum auget. Atqui haec quoque est ratio, cur plethora quieta inter causas morborum προνύμενα solummodo referri soleat; quippe quae demum, vndeliber excitata & commota, siue vehementioribus animi pathematibus, siue potulentis inebriantibus, siue nimiis corporis exagationibus, aliisque id genus causis, facillime in innumeros varii multiplicisque generis abit morbos.

### §. XIII.

Nobis autem paulo accuratius considerantibus modum, quo ab humorum rarefactione progerminant hi effectus (§. XII.), omnes singulique ab aucta humorum celeritate atque calore inde nato fieri videntur. Ex physiologicis enim constat, sanguineos latices, quo celeriori rapidiorique motu per vas a feruntur arteriosa, eo validius cum ad vasorum latera, tum inter se atteri. Quo ex attritu, per principia physica sequitur, vt leuiores, hoc est, igneae, siue, si mauis, sulphureae a reliquis, quae massam humorum constituant, particulis secedant, adeoque, sibi relictae, efficiant calorem i). At enim vero ex iisdem principiis physicis locupletissime constat, cuiusvis generis corpora ab omni calore in maius expandi spatium, hoc est, vt Physicorum more loquamur, rarefieri. Pone igitur, maiorem hanc fluidarum partium molem ad celeriorem concitari motum, & sequetur inde, ob effectam earundem

C 2

rarefa-

i) Conf. BOERHAAVI Elementa Chemiae, Tom. I. Cap. de calore.

rarefactionem, conspicua harum ipsarum expansio, maius occupatura spatiū, canalesque, quibus continentur humores, tam arteriosos, quam venosos, efficacius dilatatura. Arteriae vero, dum sanguis in venas iam distentas, ob minorem circa harum fines diametrum, & obortam hinc maiorem resistentiam atque adhaesionem, difficilis retardatiusque propelli potest, ipsis venis maiorem patientur distensionem. Ex quo facilissimum est iudicatu, quo fiat modo, ut a commota plethora simul se- & excretiones laedantur turbenturque. Namque Physiologorum demonstrationes k) abunde satis euicerunt, inter primarias proximas efficientesque caussas, ut ex uno eodemque humore tot, tamque varii diuersique generis liquores separentur atque secernantur, ramorum quoque secernentium ad suos trunacos habitum atque proportionem in primis numerari oportere. Quodsi igitur haec ipsa, quam diximus, proportio per inconvenientem arteriarum dilatationem immutatur atque pervertitur, haud obscurum est, ipsis quoque se- & excretiones turbatum iri.

#### §. XIV.

Quantum vero a rarefacto sanguine distenduntur arteriae (§. XIII.), tantum e contrario paullatim deplentur venae. Illae enim priores, dum tument, contiguas venas, quippe tenuiori textura compositas, adeo efficaciter motu suo compriment, ut contentos in iis humores versus cor & maiora vasa propellant.

k) Euolus, verbi caussa, celeberrimi *Christ. Gottl. LUDWIGI Institutiones Physiologiae*, §. 219.

lant. Verum enim quum eidem huic fluidorum copiae, quam cor iterum e ventriculis suis ei- cere conatur, per mechanicam cordis structuram, redditus in compressas venas sit interclusus, & solum ad arterias pateat iter: necesse est, ut maior indies arteriarum fiat dilatatio, ampliusque in iisdem humorum augmentum. Neque hac in re dissentientem habemus experientiam. Testem enim excitare li- ceat per illustrissimum *Gerardum L. B. van SWIETEN*, ve- rissime adferentem 1): quod in morbis acutissimis, in quibus sanguis per vasa fertur citatissimus velociusque, semper maxima eiusdem pars in arte- riis haereat, venae autem exinanitae sint & pro- pemetum vacuae; quod vero contra ea in morbis languidis, in quibus tardior est sanguinis circula- tio, ideoque ab ea dependens deficit rarefactio, venae potissimum maxima sanguinis copia sint inun- datae.

## §. XV.

Ex his ergo, quae nunc differuiimus, lectores nostros facile esse intellecturos existimamus, quod quieta plethora, dum circulantem sanguinis mo- tum actionesque inde oriundas retardat, diuersorum quidem morborum excitandorum efficiendorumque esse possit fundamentum, adeoque caussam faltem constituat, quam Medici vulgari nomine ap- pellant, praedisponentem; sua vero natura nun- quam sit morbus: quod e contraria autem parte commotae plethorae singulariter pleraque, quas

C 3                          supra

1) In *Commentariis in BOERHAAVII Aphorismos de cognosc-  
et curand. morb. §. CVI.*

supra iam attigimus (§. I.), oppletoriae, inflammato-  
riae, haemorrhagicae, aliaeque huius generis adfli-  
ctiones suos debeant ortus. De quibus singulis plu-  
ra disputari possent, si arctioribus limitibus circum-  
scriptum hoc nostrum permitteret institutum.

## CAPVT ALTERVM

DE

FREVENTIORI VENAESECTIONE,  
VT CAVSSA PLETHORAE.

## §. XVI.



At dum inter plethorae caussas frequen-  
tiorem quoque relaturi sumus venae-  
sectionem, qualis haec sit actio ante  
omnia erit expediendum. Tametsi  
enim vel ipsum venaelectionis nomen  
commentarii est loco, & haud obscure designatam  
rem indicat: tamen, ut partim consueto mori ad-  
haereamus, partim distinctiorem huius actionis red-  
damus notionem, *venaelectionis* vocabulo *artificia-  
lem* definimus *sinceri sanguinis effusionem*, e *vena*,  
*instrumento* quodam idoneo secta, *vel praeservandi*,  
*vel curandi caussa*, *factam*, *vel ad corpus superfluis*  
*humoribus deplendum atque liberandum* *vel ad hu-*  
*mores congestos a nobilioribus ad ignobiliores partes*  
*promote deriuandos reuellendosque*.

## §. XVII.

Pro diuersa itaque hac, quam exposuimus  
(§. XVI.)

(§. XVI.) Medici intentione , venaesectio quoque diuersis insignitur cognominibus, aliaque *depletoria*, alia vero *deriuatoria* sive *revulsoria* barbaris vocalibus appellatur. Quam diuersis modis cognominandae venaesectionis rationem iam vetustissimi Medicorum principes, HIPPOCRATES atque GALENS, in scholas medicas intulisse videntur. Nos vero in praesentia solam *euacuatoriam* sive *depletoriam*, quam cum Medicorum vulgo diximus, tangentem venaectionem , ad auertendos praecauidendosque morbos pluribus repetitis vicibus, ut nunc fere ubiuis non sine sanitatis dispendio fieri solet, institutam.

### §. XVIII.

Missis autem vulgarioribus istis momentis, quae ad ipsam administranda venaesectionis methodum pertinent, & a nostro aliena sunt proposito: id potius agemus, ut, quo modo pactoque sanguinis missio, crebrius frequentiusque instituta, oriundae plethorae det locum, eandemque alat, breuiter succineteque demonstretur.

### §. XIX.

Atqui id acturi, ante omnia attente considerare iuhemus lectores plane singularem corporis nostri structuram , quantqua est , hydraulicam. Nempe haec vniuersa fabrica, sicuti disquisitionibus injectionibusque anatomicas patuit, telae instar, ex infinitis tubulis, maioribus minoribusque, est contexta; quorum alii coni, vel directi, vel inuersi, alii cylindri referunt speciem, singuli autem fluida vehunt conti-

continuo motu propellenda. Quibus omnibus singularisque canalibus mirabili prorsus ratione communis datus est ortus: siquidem e duabus solum maioribus arteriis, tanquam riui e fonte, suam deducunt originem. Quaelibet enim arteriae, corporis humani partibus implexae, haud aliter ac ramuli maiorum, vel aortae <sup>m)</sup>, vel pulmonalis, considerari debent. Neque minus venae ad continuatas atque protractas arteriarum propagines referendae sunt; quemadmodum & oculo comparuerunt armato, & Anatomicorum demonstrarunt iniectiones. Verum enim vero quoniam in iisdem canalibus humores vitales perpetuo in circulum abire oportet, necessario requiritur vis motrix, proportionata in fluidas corporis humani partes efficax actione. Atqui hoc consilio summus sapientissimusque artifex admirabili ratione proprium illis indidit motum, *tonum physicum* Physiologi appellant; cuius ope beneficioque non solum humores nostri a putredine defendantur, verum etiam omnes, quae per corporis fabricam fieri possunt, perficiantur actiones.

### §. XX.

Sicut autem fluidorum motus a solidis regitur atque determinatur: ita vicissim solidorum vis atque robur simul a fluidis dependet. Namque, quo tam internae, quam externae corporis nostri partes gaudent, tonus atque robur, vnicce profecto a debito expeditoque fluidi neruei per fibras membranas-

<sup>m)</sup> Conferatur Frider. RUXSCHIVS in *Thesauro III. 28. 29. & IV. 19.*

branasque nerueas, & sanguinei laticis per arterio-  
las influxu transitiique proficiscitur. Atqui hoc ne-  
temere nos adfirmasse existimes, varia prohibent ex-  
perimenta, hanc in rem capta. Quodsi enim ner-  
vus vel arteria, ad partem quandam tendens, forte  
comprimitur vel filo ligatur, protinus omnis cessat  
vis motrix. Item, quo capaciora sunt vasa, ad par-  
tes sanguinem vehentia, & quo maior copia eiusdem  
fluidi praefecto est, eo valentiora & animo & corpore  
obseruantur animantia; inprimis si robustis ac fir-  
mis simul nervis tendinibusque sunt instructa. Ec-  
quis itaque erit, qui exinde non protinus aptissime  
concludat: sanguinem principaliorem vigoris cor-  
poris nostri ac solidorum roboris constituere caus-  
am, a quo, si decentem quantitatem & qualitatem  
habet, quibusuis partibus decens quoque inspiratur  
tonus. Evidem multa, immo plura, in medium ad-  
huc proferri possent argumenta, idem stabilientia,  
distinguuntque demonstrantia, quod vires corporis  
nostri a sanguine potissimum profiscantur. Sed  
ex his pauca saltem attigisse nunc sufficiat, quaestiu-  
culis proponenda. Quare nimirum tenerae puel-  
lae, cachexia laborantes, adeo debiles reperiuntur?  
Vnde sub nimiis haemorrhagiis sensim perduntur vi-  
res? & qua ratione e contrario augetur partium ro-  
bur sub impetuosiore sanguinis & fluidi neruei influ-  
xu? Nonne omnium horum phaenomenorum ra-  
tio e sanguine eiusque varia indole atque mutatio-  
ne erit eruenda? At enim vero quum nostris tem-  
poribus nemo amplius dubitet, in sanguine spiritus,  
quos dicunt, contineri animales, quibus parariis

D

omnes

omnes corporis humani excitantur motus; supervacaneum esset futurum, plures huic argumento al-laborare probationes.

## §. XXI.

Quoniam igitur, ut quotidiana passim docent exempla, hominum plurimi saepenumero, ad atertendos, quos sibi imaginantur futuros, morbos, sine vrgente necessitate venam sibi secari curant, magnamque sanguinis iacturam patiuntur, necessario sequitur, ut sub crebriori reiteratione totum corpus sensim sensimque debilitetur; siquidem spiritus, toti machinee robur praebentes (§. XX.), simul educuntur reuouenturque. Quia de causa **GALENVS**  
n), frequentium aliquot in morbis venaefectionum, ad animi deliquia vsque instituendarum, auctor suasorque, hanc suo tempore iam damnauit consuetudinem: *per annum, aiens, saepius secare, haud expedire arbitror, quod una cum sanguine vitalis excernatur spiritus.* Atqui si hic copiosus absumentur, tota moles refrigeratur, & omnes naturales operationes deterius perficiuntur. Atqui ad haec etiam, ipsa vulgari teste experientia, primis post perpestatam sanguinis educationem diebus satis luculenter haec debilitas percipitur, quibusuis partibus indueta. Singulae enim actiones obseruantur languidores; ciborum adpetentia est imminuta, vel faltem, si quodammodo viget, ingesta praecordiorum anxietates, & in intestinis borborygmos flatulentiasque excitant copiosas; perspiratio imminuit & continua adest ad somnum proclivitas: quae  
omnia

n) In *Method. med. Lib. IX. Cap. 5.*

omnia fractum testantur solidarum partium tonum. Neminem ergo mirari oportet, si singulis corporis cuiusdam partibus, quod crebrioribus vicibus has experitur mutationes, sensim insignis laxitas inducitur debilitasque. Namque huic rei confirmandae ii ipsi homines, qui sua natura copiosas diuturnasque patiuntur haemorrhagias, ideoque summe debiles imbecillesque euadunt, luculentissimo sunt testimonio.

## §. XXII.

Sed praeuideo, plures mecum esse dissensu-  
ros, opinaturosque, leuorem istam debilitatem  
quasi esse momentaneam, breuique temporis spa-  
tio resarciri robur. Verum enim vero pari ratio-  
ne iisdem opponi oggerique potest, quod paullo  
ante (§. XXI.) attigimus, exemplum hominum, na-  
turales haemorrhagias copiose frequenterque per-  
perientium; quippe in quibus breui quidem tem-  
pore deperdita restituitur sanguinis quantitas, neu-  
tiquam vero eadem facili expeditaque ratione amis-  
sum imminutumue partium solidarum robur. Cu-  
ius phaenomeni ratio in eo consistere videtur, quod,  
cum sanguis bene coctus mixtusque &, vt vulgo di-  
citur, spirituascens effunditur, vnicuique corporis  
parti simul, pro gradu quantitatis effusae, eadem  
spirituum animalium, hoc est, roboris vitalis (§. V.)  
pars in quantitate detrahitur proportionata. Proin-  
de etiam sequitur, vt viscera χιλοτονα & διμετρον aequalem cum reliquis partibus experiantur atoniam.  
Atqui vero haec ipsa, quae solidis partibus robur  
conciliat, sanguinis spirituascientia, vt vocari solet,

D 2

quum

quum a debita modo dicti sanguinei humoris in his ipsis, quas commemorauimus, organis elaboratione & assimilatione, vt ~~rexxnōs~~ loquamur, dependeat; quemadmodum Physiologorum demonstrationes apertissime ostendunt: fieri non potest, quin, si viscerā haec quodammodo a decenti pristino tono sunt deiecta, sanguis generetur crudus, nimis chylosus ferosusque, & ad restituendum partium vigorem impetus.

### §. XXIII.

Caeu vero, existimes, nos in ea esse opinione, vt a quacunque semel tantum, aut rarius saltem, instituta venaefectione semper necessarioque vniuersae machinae humanae eiusmodi, quam descripsimus, laxitatem & infirmitatem inferri contendamus. Tantum enim abest, vt haec nobis arrideat sententia; vt potius ea solummodo conditione venaefectionem inter debilitatis corpori humano illatae, caussas referamus, si eadem, nulla exigente necessitate, ita frequenter intempestiveque instituitur, vt denuo antea, quam à natura partium robur perfecte restitutum est, noua sanguinis fiat eductio, nouam adeo pristinae superaddens debilitatem.

### §. XXIV.

Sub hac ergo frequentiori & incongrua venaefectione licet tota vasculorum compages naturalis sui roboris quidquam amittat: prae aliis tamen ii canales in maiorem coniicientur debilitatem, qui iam sua natura reliquis laxiores imbecillioresque in corpore reperiuntur. Hanc autem indolem  
Anato-

Anatomici in primis vasis vindicarunt venosis: quippe quae tribus tantum tunicis, membranacea scilicet, vasculosa, & tenera musculosa, sunt contexta. Quod si igitur in arteriis, utpote venoso contextu longe robustioribus, relaxatio efficitur, eandem duplo saltē maiorem ab una eademque caussa in venis oriri oportet. Verum enim vero quum, ut supra demonstratum est (§. X.), venarum in primis laxitas ad plethoram generandam plurimum conserat, haud obscura exinde veritas argumenti est nostri, frequentem venae sectionem, ut foecundam plethorae genitricem, existimantis ad firmantisque.

## §. XXV.

Ergo illi profecto quam maxime errant, qui plethorae, tam praecaudiae, quam curandae, venae sectionem opponunt, & hoc consilio pluribus vicibus largam sanguinis copiam sibi detrahi curant. Quanto crebrius enim frequentiusque corpus sanguine suo depletur, tanto citius iterum repleri, inter alios per illustris L. B. van SWIETEN<sup>o)</sup> notabili confirmauit exemplo: vidi foeminam, dicens, cui, ob validissimos & saepissime renatos animi adfectus, sexagesies & ultra vena fuerat secta intra anni spatium, quae, obesissima facta paucorum mensurum spatio centum & quinquaginta librarum pondere audita fuerat; & dum continuo turgeret renato sanguine, noua sanguinem mittendi necessitas urgebat magis quotidie; donec tandem, omni corporis robore exhaui-

D 3 *Ita,*

<sup>o)</sup> In Commentar. in BOERHAAV. Aphor. citat. §. 106.

*Ita, in hydropem incideret.* Similiter quoque iam olim illustris DN. PRAESES nonnulla eiusdem generis exempla in felici ac diuturna sua praxi se obseruasse, adfirmavit, in quibus per frequentem sanguinis effusionem plethora adeo fuit austra, ut singulis recurrentibus mensibus iidem homines ad sustinendam venaelectionem fuerint coacti. Praeterea etiam plura ex Medicorum obseruationibus colligi adhuc, & in medium proferri possent exempla; nisi quotidiana experientia quemlibet huius conuinceret veritatis. Peruulgatissimae enim nunc est experientiae, semper recurrente isto tempore, quo quis semel sanguinis adsuevit missionibus, eundem pariter, ut antea, ad sanguinem cogi mendum. Quod in exemplum citari quoque possunt feminae, quae, quantumuis singulis mensibus sanguinis vbertate liberantur, nihilo tamen feciis, reuertente eodem tempore, denuo priori sanguinis abundantia laborant.

### §. XXVI.

Quae cum ita sint, nequaquam omnino negari potest, repetita multaque venaelectione induci consuetudinem, qua ad concipiendam maiorem humorum copiam vasa procliuia redduntur, ac sensim magis magisque corpus euadit succulentius; inprimis vero, si reliquae, plethoram producentes, caussae simul concurrent: verbi caufsa quando breui post gulae largius liberaliusque indulgamus, variumque vietum valde nutrientem, vel nimis crebro, vel largiori copia, quotidie in nos ingurgiti-

gurgitemus. Hac enim ratione non potest non plurimum chyli confici; qui deinde ad massam sanguineam delatus, in corporis congeritur vasis, praeципue si vitam desidiose simul agamus, omnesque corporis motus voluntarios & labores negligamus atque intermittamus. Quantum enim momenti ad plethoram in vasis colligendam habeat orium & desidia, partim iam priori exposuimus Capite, partim quoque non obscurum erit consideraturo, quam insigniter sanguinis circuitus in animalibus, corpus suum assiduo labore excentibus, per eiusdem vasorum acceleretur. Quum enim exiguus, vel certe admodum languidus, si forte vllus, sit venarum motus, quo sanguis ad dextrum cordis ventriculum reduci debet: singulari subsidio iisdem potissimum sunt actiones muscularum voluntariae, quibus sanguinis regressus per venas ad cor omnium optime adiuuatur atque acceleratur.

### §. XXVII.

Nolumus autem eo haberí loco, tanquam ii simus, qui quascunque reformidemus venae sectio- nes, easque omnes in inutilium atque noriorum remediorum classem reiiciamus. Minime enim gentium, dum damnamus abusum, tollendum volvamus usum. Est enim eritque semper venae sectio praestantissimum atque utilissimum admiculum ad multos, imo plures debellandos affectus si prouide atque circumspecte adhibeatur. Sed haec saltem vnica instituti nostri fuit ratio, ut veram demonstraremus noxam, a crebriore illius

illius usu, siue potius abusu, exspectandam; quandoquidem pessimo more frequenter & fere quotidie huiusmodi inter vulgus committuntur errores. Quo de argumento plura adhuc persequi possemus, nisi admodum circumscripta instituti nostri rationes finem, Dissertationi nostrae imponendum, circumspicere serio iuberet.

## S. D. G.

## CORRIGENDVM.

Pag. 16. lin. 23. pro κυλοποιῶ lege χυλοποιῶ.



PRAE.

PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE  
CANDIDATO  
SVPREMORVM HONORVM MEDICORVM

S. P. D.

PTRVS IMMANVEL HARTMANN,  
MEDIC. DOCTOR, ACADEMIARVMQVE CAESAR. NAT. CVRIOSOR.  
ET ELECTOR. MOGVNT. ERFVRT. SCIENT. VTL. SODALIS.

**T**ametsi haec occupatissimus scribo, parumque, quod exarandis bis ad te litterulis tribuam, habeo spartii: facere tamen minime potui, ut te, discessum ex Academia nostra honorificentissime parantem, & iam colligentem sarcinas, sine quantulounque publico voluntatis amicitiaeque erga te meae, binaud nudiis tertius conflatae, testimonio dimitterem, integerimisque votis, te absentem quoque prosequuturis, temperarem. Quantum enim ex subdito ingenii tui acumine, ex morum tuorum elegantia, & ex singulari discendi ardore indefessaque, qua litteras medicas amplexus es, diligentia simul, ac iunctuisti mibi, laetitiae cepi oblectamentique: tantum deinde, quum conceptam banc de te spem existimationemque non confirmares solum, sed augeres quoque, ad amorem in te meum accessit; ut nunc inter eos, qui tibi sincere fauent, & ex buiis diei sollemnitate, tibi per quam honorifica, prolixum atque locuples capiunt gaudium, nequitquam postremo loco simi collaudus. Illud autem minime a me exspectari volo, ut, seruili adulatorum more, tuam amplissime canam laudem: quippe cuius possessionem, partim patriis autisque in rem medicam meritis, partim tua ipsa singulari, quam reportas domum, nobisque tua demonstrasti dissertatione, litterarum medicarum scientia absolute occupasti. Quae cum

E

ita



*ita sint, nihil mibi superesse video, nisi ut, eos, quibus hodie  
ornaris, honores ingenuo animi affectu tibi gratulatus,  
porro te in EXCELLENTISSIMI EXPERIENTISSIMIQUE  
PARENTIS, ceterorumque CELEBERRIMORVM COGNATO-  
RVM, & aliorum amicorum, adeoque meum etiam gaudi-  
um, & multorum aegrotantium solatum utilitatemque va-  
lere, & res omnes tuas felicissime agere iubeam. Dab.  
Halae Magdeburgicae, III. Nonar. Maii, A. R. S.  
MDCCLVIII.*

*Monsieur,*

*P*ermettez mon cher Monsieur, que je m'acquitte aujourd'hui du devoir, que notre ancienne amitié demande de moi. Vous allez recevoir des applaudissemens généraux d'une application extraordinaire à la medecine. La célèbre Faculté de medecine de cette aussi illustre académie, dont la renommée est pénétrée jusqu' aux extrêmes frontières de l'Europe, dont le nom est respectable à tous les suivans de ces contrées éclairées, cette célèbre Faculté de medecine en est le meilleur témoin. Elle Vous croit parfaitement digne de la couronne, où Vous aspirez avec autant de droit; & Esculape lui même se tient prêt à la donner à Votre grande adresse. Portez-la pour la satisfaction de Vos sincères amis, qui regrettent Votre départ, pour Votre honneur, pour la gloire de Vos illustres ancêtres, qui ont autant de merites par rapport à la medecine, & pour le salut du genre humain. Passez d'un degré de gloire à l'autre, jusqu'à ce que Vous soyez parvenu au plus haut période du bonheur humain. N'oubliez-

*pas*



pas Vos amis dans Votre absence, & m'accordez aussi le bonheur, d'être du nombre de ceux, qui jouissent de l'bonneur de Votre très-estimable amitié. Ce sont les voeux & les prières d'un ami, qui est avec une joye inexprimable & une considération sans égale,


Monsieur,

Votre

à Halle le 8. de Mai 1758.

très-humble & très-fidèle ami

C. E. GROSS, C. en Med. Opp.



Wergiebs der Poesie; vergieb es meinen Flöten;  
Wenn sie nicht zierlich singt: wenn diese heiser reden.  
Mein Pegasus ist lahm und hinkt auf einem Fuß,  
Seit dem ich vor der Zeit den Gram schon fühlen muß,  
Den mir Dein Scheiden droht, das unsre Herzen trennet,  
In welchen Treu und Flucht und ächte Freundschaft brennet.  
Es kan nicht anders seyn: die Reime fliessen schlecht.  
Dein wo Verdruss und Schmerz, Geist und Gemüthe schwächt;  
Wie kan der Dichter da geschickt und feurig singen  
Und Leben und Gefühl ins Maß der Sylben zwingen?  
Wenn nun mein Dichter-Rohr nicht, wie es sollte, klingt;  
Wenn Dir vom Helicon kein Schwan die Blumen bringt,  
Die Medicrina draucht, Dir einen Eranz zu binden,  
Der Ruhm und Nahmen wird in Erz und Marmor gründen:  
So sprich mich von der Schuld in diesem Stücke frey  
Und miß der Zärtlichkeit den ganzen Fehler bey:  
Denn kränkte Dein Verlust nicht die bestürzten Sinnen;  
Vielleicht empfängt ich mehr die Gunst der Pierinnen.  
Nim also, Freund! vorlieb. So schlecht mein Opfer ist,  
So wenig Annuth auch durch Reim und Feder fließt;  
So bleibt mir doch der Frost, daß ich es redlich meyne  
Und hier auch in der Tracht der Falschheit nicht erscheine.

ZG

Geb se mir diesen Tag, der durch sein heiter Licht  
 Dich mit Hygeens Hand verlobet und verspricht;  
 O Freund! wie klopft mein Herz vor Vollust und Vergnügen!  
 Wie reizend seh ich Dich an Ihren Busen liegen!  
 Auf! streite nun beherzt, zerbrich Norbonens Stab,  
 Den ihr Pandorens Faust bloß zum Verderben gab,  
 Das menschliche Geschlecht zu qualen und zu plagen  
 Und mit Entkräftung, Schmerz, Gifft, Pest, und Todt zu  
 schlagen.

Weiß ihre Werkstatt ein; und dämpfe Lust und Wuth,  
 Die allenthalben rast und so viel Schaden thut,  
 Und stiftst Dir dadurch zu fernem Ewigkeiten  
 Und zur Unsterblichkeit, ein Denkmal langer Zeiten.  
 Bedencke, was für Blut in Deinen Adern fließt,  
 Und daß dasselbe schon von großen Aergeren ist,  
 Die Nahme, Ruhm und Ruf auf unverderbten Schwingen  
 Ins guldne Heilighum verdienter Ehre bringen.  
 Folg diesen Vätern nach, die Ruhm und Nahme eränzt,  
 Dass einst Dein Bildnis auch an ihrer Seite glänzt:  
 Und daß, ob sie der Welt den Abschied schon gegeben,  
 Ihr Nahme und ihr Glanz noch mag im Enckel leben.  
 Ich hätte hier viel Stoff; es fehlt an Sachen nicht:  
 Dein heutig Ehrenfest verlangt auch diese Pflicht;  
 Allein es fehlt an Muth und an erhabnen Bildern,  
 Die Ahnen, die Du hast, nach ihrem Werth zu schildern.  
 Ich füge also nur noch diese Worte bey:  
 Dass Dir mein redlich Herz vollkommen eigen sey.  
 Dein Wohl vermehre sich im Laufe süber Stunden!  
 Es blühe stets Dein Ruhm bey Kranken und Gesunden!

Dieses wünschte und schrieb mit den Gesinnungen unvergleichlicher Freundschaft und Hochachtung

Joh. Andreas Wilhelm Büchner,  
 aus dem Thüringischen, M. C. Opponent.


in Med. Fac.


5. 7. 58.

Halle, Med. Diss., 1758



Rheo ✓





57  
INAUGURALIS MEDICA  
DE  
EBRIORE  
NIS MISSIONE  
LETHORAE GENITRICE

QVAM  
CIIS SVMMI NVMINIS  
ET  
OSAE FACVLTATIS MEDICAE  
AESIDE  
LENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
ELIA BVCHNERO

ANI IMPERII NOBILI,  
IAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,  
E NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
E NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDE  
E PALATINO CAESAREO,

DV DOCTORIS  
INA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS  
VS RITE CONSEQUENDIS  
II. A. S. R. CCCLXVIII.

GIA FRIDERICIANA  
PLICE DEFENDET  
AVCTOR

SAMVEL CARL  
ERGA - PALATINV.

RG. LITTERIS HENDELIANIS.